



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lectori Salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69662)



Lectori Salutem.



Congregatio Generalis septima, non ignara quantum emolumentum adferant annuæ Societatis literæ, siue ad spiritum adeo sancti Instituti fouendum, ac promouendum, siue ad perfectæ vitæ, solidarumque virtutû studium animis Nostrorum incendendum; concorde sententia decreuit, *Annuas præteritorum annorum literas, per varias Prouincias primo quoque tempore imprimendas distribui. Insequentium vero annorum, Pa-*

() () 2 tri

tri Nostro commendandas censuit,
ut certum aliquem, totius Societa-
tis sumptibus, si aliter commode fie-
ri non possit, alendum, illi operi
præficere dignetur, ne diutius tan-
to spiritualium narrationum fru-
ctu uniuersa Societas careat. Con-
gret. 7. Decr. 15. Occasionem
præbuit prior functionis illius
pars, ut in executionis, & laboris
partem vocaretur Collegium
Moguntinum, destinatis ad il-
lud trium annorum literis an-
nuis, quæ ibidem recognitæ, ty-
pisq; creditę lucem adspicerent.
En factum. Sed ut inoffenso pede
Lector pergat, demēdi de via pri-
mo sunt scrupuli. Vnus, ut ne rei
agamur, si quarundam Prouin-
ciarum desunt literæ. optaba-
mus


mus quidem omnes inferi, ve-
rum cum priuatis vrgeremur ad
vmbilicum literis, & ille non ad-
uenirent, morâ suâ, non volun-
tate, aut incuria exclusæ sunt. Al-
ter, vt ne stili varietas teretes au-
res percellat. Sua cuiq; oratio ni-
hil fere immutata relicta est, eo
consilio, vt ne dum verba secta-
mur, sensus, reique veritas (quod
vsu frequenter euenire solet) de-
trimentum non leue pateretur.
Expuncta tamen sunt nonnulla,
quæ recognitoribus abundare
visa. Sed & admissa cum plura,
non quia maiore quidem iniu-
ria spongiæ fuissent incubitura,
sed quod illis in Domino ita vi-
sum, & non raro de iis, quæ qui-
busdam momenti minoris ap-
parent,

|| 3

parent,

parent, aliis non exigua com-
moda enascantur. Verum quis è
Typicorum errorum sese tot
pedicis extricabit? Peritus qui-
uis, & prudens, non operose. Vti
typos non absoluo penitus, ita
neque plane condemno. Corre-
ctiora enimvero prodiissent o-
mnia nisi tam inuenuste descri-
pta fuissent exemplaria nõ pau-
ca, vt vix etiam peritiores conie-
ctando assequi possent, quid sub
adeo miseris characterum inuo-
lucris boni sensus lateret. Descri-
benda erant illa mundiore ma-
nu; & factum foret, nisi nos ad
imponendum operi finem, fa-
tiusq; ducendum, aliquid, minus
etiam exactum, de annuis dare,
quam tantum, tamque desidera-
tum

tum earum fructum diutius sustinere, totius Societatis non ignotum desiderium perurisset. Nostram itaque hanc operam boni consuli rogamus, & ad multorum in Spiritu profectum prodire totis votis exoptamus
Moguntiaë 7. Cal. Apr. 1618.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.